



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

IV. Emendatur & explicatur Vigilij locus quo insinuat necessitatem
constituendi Vicarij. Quæ emendatio confirmatur auctoritate ejusdem
Vigilij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

I. **O**PERÆ pretium fuit generalis epistolæ Vigilij ad Episcopos Gallicanos examen in hoc capite suscipere, velut divisione facta, ut epistolam illam, quæ specialem quandam curam ac diligentiam desiderare videtur, quod multa contineat notatu digna, per partes explicare possemus. Quod non adeo facile fuisset, si singulos quosque locos retulissimus in capite superiori ad epistolam quæ data est ad Auxanium.

II. Primum igitur adnotandum est vicariatum apostolicæ sedis Auxanio tribui, non solum in provinciis circum Arelatem positis, ut antea assolebat, sed etiam in provinciis quæ pertinebant ad regnum Childeberti. *Dilectissimis fratribus universis Episcopis omnium provinciarum per Gallias, qui sub regno vel potestate gloriosissimi filij nostri Childeberti Regis Francorum constituti sunt, sed & his qui ex antiqua consuetudine ab Arelatensi consecrati sunt vel consecrantur Episcopo.* Veteres provinciæ quæ Arelatensi Episcopo subjectæ erant quo tempore Vigilij ista statuebat, hæc fuerunt, Viennensis, Alpes maritimæ, utraque Narbonensis, Hispania Tarraconensis, nisi si ista tum distracta erat à corpore provinciarum quæ Arelatensi Episcopo parebant. Itaque ad has provincias accesserunt, magna pars quartæ Lugdunensis, & in hac, Parisij, aliqua pars secundæ Belgicæ, Silvanectum nimirum & Bellovacum, integra Lugdunensis secunda, Britannia, & aliqua pars Aquitanicæ. Cum ergo nulla antea lege, nulla consuetudine istæ provinciæ pertinerent ad curam Arelatensis Episcopi, cui tamen imperium in illas tribui cupiebat Childebertus, & fieri istud non posset nisi per concessionem vicium sedis apostolicæ, necessarium omnino fuit adiri Papam Vigilium, qui Romanæ tum Ecclesiæ præsidebat, ut illius decreto extraordinaria illa auctoritas, quæ provinciarum limites irrumpebat, in Arelatensem Episcopum conferretur. Et erat recens exemplum, si modò ista Gallis nostris nota erant, Archiepiscopi primæ Iustinianæ, qui nuper vicariatum apostolicæ sedis acceperat à Vigilio per sex provincias, juxta postulata Imperatoris Iustiniani. Quidni parem Arelatensi Episcopo intra Gallias auctoritatem conciliaret Childebertus?

III. Concessurus Auxanio vices suas Vigilij, primum docet sibi in beato Petro commissam esse curam universarum Ecclesiarum, ut de pace & statu earum sollicitus sit. Hæc persuasio, quæ extat in epistola sancti Leonis ad Episcopos Metropolitanos per Illyricum constitutos, alius postea penetravit in animos Pontificum qui posterioribus

seculis Romanam cathedram tenuerunt. Lubet autem referre ipsa Leonis verba, ut etiam in hoc loco ostendamus Arelatensis Episcopi dignitatem efformatam fuisse ad exemplum privilegiorum Ecclesiæ Theſſalonicensis. Sic ergo loquitur Leo de vicariatu Anastasij Episcopi Theſſalonicensis: *Et quia per omnes Ecclesias cura nostra distenditur, exigente hoc à nobis Domino, qui apostolicæ dignitatis beatissimo Apostolo Petro primatum fidei suæ remuneratione commisit, universalem Ecclesiam in fundamentum ipsius soliditate constituens, necessitatem sollicitudinis quam habemus cum his qui nobis collegij caritate juncti sunt sociamus. Vicinitaque nostram fratri & cœpiscopo nostro Anastasio commisimus.* Eadem cogitatione imbutus Vigilij, primum sibi, ut diximus, in beato Petro commissam esse ait curam universarum Ecclesiarum, hinc verò descendit ad necessitatem constituendorum per provincias Vicariorum sedis apostolicæ, qui præsentiam Romani Pontificis repræsentent. Hæc sunt verba Vigilij: *Quantum nos divina potentia Apostolorum primi sedem, non pro nostris meritis, sed pro ineffabili suæ misericordiæ pietate, habere constituit, tantum nos de universarum Ecclesiarum dispositione, pace, & statu convenit esse sollicitos. quippe cum doctor gentium dicat Apostolus: Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quomodo ergo inter Domini sacerdotes sancta & Deo placita potest manere concordia, nisi ut si humani generis hostis antiqua nequitia consuetam Nazarianam seminare voluerit, si qui absentiam nostram sedis apostolicæ vicibus perfruendo spirituali gratia repræsentans, auferat certamen exortum?*

IV. Hunc locum retuli ex fide codicis regij. Nam omnino aliter habetur in editionibus: ubi pro *sit qui absentiam* &c. legitur, *is qui absentiam nostram sedis apostolicæ vicibus perfruendo repræsentat, auferat certamen exortum.* Sed vulgatam lectionem non admittit sensus hujus loci. Nondum enim tributus Auxanio fuerat vicariatus, qui illi tantum committitur in consequentiam istius argumentationis. Ait quippe Vigilij non posse aliter manere concordiam inter sacerdotes Domini nisi si sit aliquis qui vice sua componat jurgia & certamina quæ inter illos exoriantur, ea de causa concessisse se vices suas Auxanio. Præterea hanc emendationem esse legitimam probatur etiam ex epistola ejusdem Vigilij ad Episcopos regni Childeberti de vicariatu Aureliani Episcopi Arelatensis, qui Auxanio successit. Etenim eodem argumentandi genere usus Vigilij ait: *Ita enim inter sacerdotes Domini potest pax super omnia Deo placita custodiri, si fuerit qui vicum nostrarum auctoritate subnixus, personam nostram in Gallia-*

Vide v. c. Carolum le Colre ad an. 511. § 56.

Vide supra cap. 21. § 9. & cap. 29. § 5.

Vide infra cap. 47. § 2.

ram partibus presentans, secundum consuetudinem à nostris decessoribus attributam sapienti & sollicita indagazione custodiens, si quam humani generis hostis antiquus Zizaniam inter Dei famulos nequitia consueta seminare tentaverit, sapientia sua moderamine adhibitis sibi fratribus & coepiscopis nostris iustitia Deo placita scandala orta submoveat.

V. Addit ergo post ista Vigilius: Quapropter Auxanio fratri & coepiscopo nostro Arelatensis civitatis antistiti vices nostras caritas vestra nos dedisse cognoscat, ut si aliqua, quod absit, contentio fortassis emerferit, congregatis sibi fratribus & coepiscopis nostris causam canonica & apostolica integritate discutens, Deo placita equitate definiat. Quo loco revocanda mihi est memoria eorum qua in proximo capite dicta sunt de iudiciis Episcoporum, nimirum sic vices suas Auxanio commisisse Vigilium ut nihil illi soli licere in hoc voluerit, cunctaque agi praescripserit in conventu comprovincialium Episcoporum. Causas vero majores sic committit Auxanio ut ei necessitatem imponat mittendi relationem ad apostolicam sedem: Contentiones vero si qua, quas Dominus auferat, in fidei causa contigerint, aut tale emerferit forte negotium quod pro magnitudine sui apostolica sedis magis iudicio debeat terminari, ad nostram discussa veritate perferat sine dilatione notitiam.

VI. Sequens istius Vigilij epistolae caput pertinet ad celebrationem Conciliorum Dioeceseos Gallicanae. Sed antè quam Vigilij verba referamus, non inutile erit heic observasse illum in ista constitutione secutum esse ordinem quem sanctus Leo praescripserat Anastasio Episcopo Thessalonicensi. Nam cum supra adnotaverimus in istius potestate & mandatis ferme cuncta contineri quae sequentibus seculis aut mandata Legatis sunt aut ab illis praesumpta, adnotaverimusque praeterea Arelatensem antistitem sedis apostolicae per Gallias Vicarium factum esse ad exemplum potestatis quae Thessalonicensi Episcopo tributa erat per Illyricum, par est ut comparationem eorum instituamus ubi occasio tulerit. Sic enim fiet ut lectores plane intelligant parem intra Gallias Arelatensibus Episcopis auctoritatem tributam fuisse ac Thessalonicensibus intra Illyricum. Edixerat itaque Leo vicariatam Anastasij Thessalonicensis Episcopi constituens, uti ad synodum quisquis Episcoporum ab Anastasio foret evocatus occurreret, nec sanctae se congregationi denegaret. Definierat praeterea, ut quisquis Episcoporum superbo animo, cum nulla corporis vel causae foret necessitate detentus, fraternum sapius vellet vitare conventum, se sciret esse iudicandum. Nunc

ergo Vigilius ait, tanquam suis verbis reddere destinasset sensum verborum Leonis: Et quia necesse est ut apud Deo propitiante temporibus ab Arelatensi Episcopo, qui nostris vicibus fungitur, quotiens iudicaverit expedire, pro facienda consolatione communi Episcoporum debeant congregari persona, nullus inobediens ejus forte mandatis se à congregatione suspendat, nisi aut corporalis infirmitas aut justa causa eum excusatio venire prohibeat. Tum edicens uti qui iustam ob causam non accesserit ad synodum, Presbyterum aut Diaconum pro se mittat, injecta mentione promissionis Christi, qui se pollicitus est futurum in medio eorum qui in nomine ejus congregati essent, addit: Quid ergo se estimat subiturnum qui Deo odiosa superbia in illa congregatione interesse contemnit in qua se Dominus noster ad futurum pia promissione denunciat? Odiola illa superbia, quam contumacibus illis Episcopis objicit Vigilius, est is ipse superbus animus quem in Illyrijs Episcopis damnat Leo. Ceterum hunc Vigilij locum edidimus ex fide ejusdem codicis regij, in quo legitur multò emendatior quam in editionibus.

VII. Postremum caput epistolae Vigilij respicit necessitatem accipiendarum formarum ab Episcopo Arelatensi. Qua de re cum multa jam à nobis dicta sint, quae nunc repeti non est opus, transeamus ad Aurelianum, qui post Auxanium fuit Arelatensis Episcopus & sedis apostolicae Vicarius per Gallias. Falluntur autem, ut rectè observatum est à Saxio, qui putant Aurelianum non statim successisse Auxanio. Sed haec non sunt instituti nostri.

CAPVT XXXVIII.

Synopsis.

I. Aurelianus succedens Auxanio, fit Vicarius Apostolicae sedis, secundum veterem consuetudinem. Generalem pro hac causa epistolam ad Episcopos Gallicanos dedit Vigilius secundum morem.

II. Aurelianus sollicitus de bona fama Vigilij, illi per legatum significavit qui sinistri rumores de illo essent. Iste, scripta ad eum epistola, fidem suam singillatim explicuit, simul illum admonens, ut illam in omnium Episcoporum Galliae notitiam deducat. Evincunt ista sollicitudinem Ecclesiarum Gallicanarum fuisse tum penes Episcopum Arelatensem.

III. Aureliano successit Sapaudus. Hunc statim Pelagius Papa vicibus apostolicae sedis ornavit secundum morem. Tum usum ei Pallij concedit, & privilegium formarum confirmat.

IV. Datum id precibus Childeberti Regis, ut patet ex epistola Pelagij ad Childebertum. Non meminit autem consensus Imperatoris pro concessione Pallij.

V. Admonet deinde Childebertum Pelagius honorandum esse Sapaudum propter apostolicam vicem.

Th. Episcop. n. 51.

Imp. cap. 10. 42.

Ant. Hoffm. 14. 149.

Th. pag. 160. Th. supra cap. 14. §. 11. §. 12.